Rx 14 Oct. 1680.

33

Illustris Domine

Patrone Maxime,

Vehementer gavisus sum, cum à Dn. Marckio vivere Te valereq; intelligerem. Venit mihi illico in mentem, quam sacrum mihi ante hos X annos fuerit magnum tuum nomen potius ~~[illegible]~~ venerari. Ex illo tempore quam mirè conversa fuerint omnia! In illa tamen malorum diluvie non parum me delectat evenisse illa Celsissimo Principi vestro, quorum Vates fui, in carmine, quod in Angliam navigaturo propempticon scribebam. Cuius quamquam Celsissimo Principi forte nulla, aliqua tamen, ut puto tibi superest memoria. Memini enim tum temporis Tibi me illud obtulisse. Miseram quoq; ad Te Schediasmata Poëtica Illustri tuo Nomini inscripta, quae an rectè ad Te curata fuerint, semper dubitavi. Nunc cum commoda se offerat occasio, illa per Dn. Marckium iterum transmitto, cum aliis quibusdam subitaneis ingenii foetibus. Prodiit interim, ut narravit mihi Marckius, Belgicorum tuorum poëmatum nova et locupletissima editio. Quam hic videre nondum contigit. Raro enim talia ad nos deferuntur. Magna illam videndi cupiditas me tenet. Quod si tam felici mihi esse liceat, ut tua liberalitate hoc habeam munus; magno a Te me affectum beneficio gloriabor. De caetero Deum veneror, Vir illustris, ut Te diu Patriae usq; superesse velit, Teq; Nestorem, quem prudentia facile vincis, annis quoq; et aetate superare possis. Vale. Dab. Kiloni. d. XXX Aug. Ao CIↃ IↃ C LXXX.

Non memini Eas vidisse

Illustris tui Nominis

cultor observantissimus.

Daniel Georgius Morhofius.
D. Pr.

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 33-34
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0495

Illustri Domino.
Dno Constantino Hugenio,
Equiti, Zulichemi et Zeelhemi
Toparchae, Celsissimo Principi
Auriaco a consiliis sanctioribus.

Maccoffij

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 33-34
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0495